

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Schlee Johannes Cnopius

Theoremata Theologica De Peccato Originis ...

Rostochii: Reusner, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756815053>

Druck Freier  Zugang



Schlee
Chr. Glendarus.
R. U. theol. 1605.

2.
29.

THEOREMATA THEOLOGICA DE PECCATO ORIGINIS, D. O. M. A.

Reverendi Collegij Theologici autoritate,
In Academia ROSTOCHIENSI,

SVB PRAESIDIO

Humaniss. ac Ornatis. viri

M. CHRISTIANI SLEDANI,
ROSTOCHIENSIS

Explicata & ad disputandum proposita

IOHANNE CNOPIO,
GNOI: MEG:

Ex
bibliotheca
Academicae
rostochiensis



ROSTOCHII

Apud Christoph. Reusnerum. 1605.

VIRIS
PRUDENTIAE HUMANITATIS ET MVLTARVM
rerum experientie laude ornatisimis

Dn. CHRISTIANO TVRMANNO, sereniss:
REGINÆ Daniæ viduæ; &c. & Reveren-
dissimi Episcopi Sverinensis &c. Quæsto-
ri & consuli Plawensi

Dn. IOHANNI ISEBEIN Illustrissimi Principis
CAROLI, Megapolens: Ducis &c. Quæstori

Dn. MATTHÆO ROSELER.

Dn. IOHANNI GROTE.

Civibus Rostochien: primariis ac politissimis, Mace-
natibus meis certissimis

Honoris
Amoris &
observantiae ergo

Hæc pagellas Theologicas

L. M. Q.

Do dedicoq;

Iohannes Cnopius,

CONTINVATIO.

Doctrinam LEGIS, quam superior disputatio expedivit, ordine rectissimo articulus de PECCATO ORIGINALI subsequitur. Per Legem enim est agnitus Peccati, attestante Apostolo Rom. 3. 20. Estq; articulus hujus de Peccato doctrina apprimè utilis ac necessarius; quippe qui tūm in primitivā ecclesiā, tām à Manicheis, quām Pelagianis: tūm in hac nostrā partim à Pontificijs, partim Flacianis, Anabaptistis & Sacramentarijs, vitiatus, immensam teterrimorum errorum phalangem, in ceteros fidei Articulos secū introduxit: ut nec injuria Theologi orthodoxi ut aliorum, ita & hujus Articuli puritatē sibi in homo logetico Ecclesiarum nostrarū libro Formulae Concordiae, Art. 1. habuerint commendatissimum, eumq; ab omnibus corruptelis immunem esse studiosè annixi fuerint. Quam diligentiam & nos, quantum diversitas ingenuorum, maximi & minimi, & doctrina hujus subtilitas & gravitas patitur, non quidem emulaturi, sed tamen imitaturi & securi tantum, nostram De PECCATO ORIGINIS sententiam Orthodoxam, brevibus hypothesibus controversis ad examen Cū χεισ̄ dabis & explicabis:

THEOREMA PRIMVM
Peccati Originalis appellatio est Ecclesiastica,
non Canonica.

E K Θ E S I S.

1. PECCATVM, teste Cicerone, à pellicatu dicitur, & peccare quasi pellicare, seu cum pellice coire. Peccatorem itidem adulterum interpretabantur. Frequentissimè verò tūm ab alijs classicis auctoribus, tūm etiam Cicer: 3. Offic: contradistinguitur officio, hoc est, ei, quod tām honesto, quām decoro est oppositum: adeoq; quod Philosopho est iustitia Universalis, ejus contrarium Latini

A

appellant

appellant Peccatum. Significat ergo in genere peccatum, quamvis culpam, offendam, & delictum.

2. Quod autem apposita ORIGINALIS appellationem concernit, est illa ὡρεαδος & Ecclesiastica, primò ab Augustino usurpata, & postmodum ab Ecclesia doctoribus comprobata, non levibus de causis; ut videlicet Pelazianis elabendi rime, quas illi in ceteris à Patribus usurpati vocibus facile inveniebant, obstruerentur, & fortius vi veritatis premerentur, ne amplius equivocationis tegulo errorem palliarent: quod recte factum esse, tum ipsa ratio dictitat, tum sancta Ecclesia & antiquitatis consuetudo confirmat.
3. Si igitur vocabula duntaxat rebus serviant; improbè agunt, qui propter novum ORIGINIS terminum, Augustino, novæ atq; à se excoigitata doctrina de peccato crimen imputare non erubescunt: cum scriptura idem malum, si non eodem vocabulo, significantioribus tamen id enunciet, uti in sequenti Theoremate probabimus.
4. Quod autem malum Originis appellatur, id non ad exordium seu initium rerum creatarum, qua valde bone fuerunt condita, est referendum: nec idem sit, quod à primis mundi initijs sit commissum; sed ad propagati humani generis ortum pertinet, respetu scilicet originis cuiusq; persone, in quam in ipsa statim formatione transfunditur, dicente Psalte Ps. 51. se in peccatis etiam calefactum & fotum esse.

THEOREMA SECUNDVM.

Tò òli Peccati Originis Scriptura comprobat.

1. Et si enim Peccati Originalis vox in scripturis, quo ad literarum apices, non inveniatur: rei tamen veritatem isto vocabulo comprehensam, & alijs appellationibus in illa denotari, in sequentia testimonia, tam veteris quam novi Instrumenti abunde comprobant: Gen. 8. v. 21. nominatur Malum figmentum humani coridis ad adolescentia; & Ps. 51. 7. peccatum in quo concipimur, quod

- quod etiam in ipso semine hæreat, cum primum incipit formari
 Et Ps. 19. 13. occultum peccatum; & cum primis illustris locus est
 Ezech. 16. v. 4. 5. qui inspiciatur.
2. Sic & in Novo Testamento malum hoc originis usitatè carnis nota-
 tione venit: & Epistola ad Hebr. 12. v. 1. vocat peccatum ēvōe-
 cōzōv, tenacissime inhārens.
 3. Est vero propria hujus doctrina sedes in cap. 5. ad Rom. ubi versi-
 culus 12. probè obseruetur: Per VNV M hominem peccatum in-
 travit in mundum, & sic per peccatum mors, & sic ad OMNES
 homines mors pertransiit, in quo & OMNES peccaverunt.

THEOREMA TERTIUM.

Est ergò Peccati Originalis causa efficiens
 propinquā, lapsus protoplastorum volun-
 tate à Deo aversà commissus.

1. Est quidem primaria peccati causa, invidia ac impulsio diabolica
 Gen. 3. Sap. 2. 24. propinquam verò esse lapsū primorum pa-
 rentum, dubium non est. Sit instar omnium unus ille Apostoli
 Iucus verè clasicus Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum
 intravit in mundum: de quo loco Augustinus eleganter & acute,
 ut omnia, hunc in modum commentatur: Pertransiit, pertransiit;
 verbum attendite: quod audivisti, considerate: Videte, quid est
 pertransiit? Inde est & parvulus reus: peccatum non fecit, sed
 traxit: Etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertran-
 siit, non in illum & illum, sed in omnes homines pertransiit.
2. Absolvendus igitur ab hac culpā, tūm Deus est, tūm Conjugium:
 Ille enim ut natura auctor pie creditur, ita idem peccati conditor
 blasphemēdicitur. Naturam enim, qualis est, format & conservat
 Deus: corruptionem verò, qua est in natura, non efficit, sed inve-
 nit in eā, & cum alia non sit, ex hac materiā hominem condit;
 Hoc vero, quemadmodum scriptura id honorabile Hebr. 13. 4. &
 sanctum 1. Pet. 3. esse testatur, ita perse hujus mali neotacē
 causam esse pernegat.

3. Distinctione igitur adhibita difficultates, que hic oboriri possent, emendabimus: Aliud quippe est Natura ipsa, que Deum conditorem, aliud Naturæ corruptio, que nos auctores habet: Vtrumq; propagatur, & natura, & vitium: Sed illa à Conditoris bonitate; hoc à nostra præditate proficietur. Non igitur à conjugio DEI ordinatione instituto, sed à naturâ parentum corruptâ & peccato infectâ lues hac Originalis descendit.

THEOREMA QVARTVM.

Peccatum Originis per carnalem & naturalem generationem in sobolem propagatur.

1. Quod posteritas naturam peccatricem à protoplastis vel proximis parentibus per generationem naturalem sortiatur, id Moses Gen. 5. confirmat, dum Adamum filios ad SVAM (non ad Dei) imaginem procreasse afferit. Cui subscribit regius Psaltes, ad ipsum illud hominis concepti primum momentum, contagii hujus propagationem reducens psal. 51. 7. Inde Eph. 2. v. 3. Apostolus nos naturâ filios ira pronunciat: Et Salvator admodum luculentter: Quicquid ex carne natum est, caro est Ioh. 3. 6. adeo venenum hoc lethale omnes & animi & corporis vires pervasit, ut jam nobis INNATVM & CONNATVale factum sit; quamobrem etiam non jam celestis, sed terreni Adami gestamus imaginem Eph. 2. 1. ad Cor. 15. 40.
2. Quid? ipsa Mors non solum infantes vix editos, sed nec dum etiam natos crudelissimè lucis usurâ privans, quid aliud quâm hujus rei testimonium dicit? tot infantum funera quid aliud loquuntur? Hi sanè si stipendum accipiunt, ut accipiunt, eos peccato mancipatos fuisse, quis negare ausit?
3. Nec aliud Sacrosanctum regenerationis lavacrum vult, quo omnes ablueri & regenerandi per aquam & Spiritum, si regni cœlestis hereditatem adire velint; dicente Servatore Ioh. 3. 5.
4. In quam sententiam, ut & hac in parte antiquitatâ suffragium adducamus, D. Ambrosius, Nec, inquit, unius diei infans est sine peccato;

eato: nec materni conceptus dies unus sine peccato est: sed concipimur in peccato parentum, & in delictis nascimur, sed & ipse partus noster sua habet contagia.

5. Hinc manifestum quoque evadit, non minus piorum, quam impiorum liberos, tam ratione culpe propria, quam pana, malo huic esse constrictos & devinctos. Est enim generatio non gratiae, sed naturae opus; opera naturae non ad regenerationem, sed ad carnem sunt referenda. Quanquam igitur piis parentibus propter Christum & culpa non sit imputata, sit & pana remissa: tamen quia fidelis non generat prolem, unde regeneratus, sed unde generatus est, sit ut de fidei & renato non nascatur fidelis & renatus. Et quid mirerum, quod peccator nascatur de semine justi? non te delectat mirari, quare nascatur oleaster de semine olive. Itemque, justum baptisatum pone granum purgatum: non attendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua tamen seminatur. Deinde cur sit in propagine natorum spiritualis generationis, ut de baptisato baptisatus nascatur? cum videoas de circumcisio non nasci circumcisum, uti in hanc sententiam verè & eleganter Augustinus loquitur.
6. DE MODO propagationis & jam olim & nunc quoque variè disputatum est, quæcumque, utrum anima sit ex traduce; an vero divinitus infundatur? quæ nobilissima, sed intricata quæstio, præstantissima quæque ingenia exercuit, quibusdam priorem, aliquibus posteriorē sententiam amplectentibus. Nos cum Divo Lutherō publicè nihil desinentes, privatim cum eodem & alijs non è trivio, tam Theologis, quam Philosophis, animam extra duce esse, modestè afferemus.

V.

Peccatum Originis non est substantia.

1. Quia multiplex indistinctum, teste Philosopho, parit errorem: Substantia vox nobis primum distinguenda est. Substantia igitur dupliciter accipitur: Primo modo significat cuiusque rei

A 3

Naturam

Naturam & essentiam, qua definitione declaratur: quo respectu
& Accidentia suam habent substantiam, naturam, & essentiam.
Secundo modo sumitur pro altera Entis specie, Accidentii contra-
distinctam, que videlicet illud est Ens, quod cum sit, in alio ta-
men non sit ut in subiecto: Vnde Logici etiam dictam arbit-
rantur, à substantando vel subsistendo.

2. Hac posteriori acceptione Peccatum non esse obvianzētū sepe homi-
nis substantiam, praterquam quod monstrōse formam cum priva-
tione, subiectū cum Accidente, Qualitatē cum substantiā consun-
zest in genere & ad

dit, ex analogiā quoq; fidei facile & orthodoxe confirmari potest.
in extirpatione Primum argumentum ex Articulo de Creatione ita concludit:
bantia oratione p. 1. Deus totam hominis substantiam condidit: At peccatum non
in easterne & his non condidit; sed diabolus. Ergo non est hominis substantia; aut
in e. & sc̄. Denique conditor essentia censebitur diabolus.
nos sanc̄ natum ferae

2. Ex Articulo de Incarnatione: Filius Dei totam naturam nostram
in ratio animo aliquam substantiam assumit: At peccatum non assumit: Es enim à
condidere nec bono per peccato omni immunis, ut ut naturam nostram participavit. Ergo.
expositio 2. Ex Articulo de Sanctificatione: Spiritus Sanctus regenerat &
ex fave diaboli in fave, illustrat totam hominis substantiam: Non autem peccatum: Ergo.
expositio 3. Ex Articulo de Resurrectione: Totus homo tam quod ad ani-
mam in corpore, mo mam, quam corpus, excitabitur in novissimo die: At peccatum
in ad diem malum. non excitabitur: Ergo idipsum nec ad corporis, nec ad anime
essentiam pertinet: Non igitur essentiale quid:

3. Idipsum quoq; totus Antiquitatis consensus clare testatur. Ita nam q;
est peccatum. Basilius in Orat: quod Deus non sit auctor mali: In summa, in-
tegris rationibus substantia quid, neq; Deum substantia mali auctorem esse putas: neq; pro-
movere p. 1. Ad Ego: priam substantiam mali esse imaginare: non enim subsistit, ve-
rum sicut & ad mala, & animal, pravitas, neq; essentiam ejus subsistentem producere
possimus: privatio enim boni, malum est. Et quem sape testem
appellamus, magnus Ecclesie Hypponensis antistes admodum
ignava hoc vobis n. d. signanter lib. 7. confes. c. 12. Malum illud, quod quarebam, unde
in corpore &c. animal &c.
vixim, verum & bonum esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Et
haec physica & corporis & animalis & privata. Non privata fac diversa in artib; de rebus alibi
convenientibus ex sola mente latente in primis illam magis neq; illa plane

alibi: Non resistimus Manichaeis, nisi obtineamus, non esse mala
orta nisi ex bonis, nec ea mala substantiam esse, sed substantiarum
vitia creatarum.

4. Ne pigeat ultimo loco vocem recta rationis audire, unico saltem ar-
gumento: Quod de essentiâ rei est, aut est materia, aut ratio
formalis rei rem conſtituens: sed peccatum Originis neu-
trum est in homine; neg. materia, neg. forma hominis. Ergo
non est de essentia hominis.

VII.

Sed est Accidens.

1. Etenim à remotione unius partis in oppositione distinctivâ, ad alte-
rius membra positionem illatio est necessaria.
2. Quin & sacrarum literarum auctoritas manifestò adjipulatur: *Opid nolig te,*
Rom. 7. v. 20. dicitur Peccatum inhabitans, ADIACEENS. *Berat toti rei*
Hebr. 12. 1. dicitur Peccatum Circumstant, quod videlicet, quasi
putredo nostram naturam ambiat & circumstet. Rom. 5. v. 15.
dicitur ταεγνωμα, quod commodius non redditur, nisi per vocem
Accidentis; est enim ταεγνωμεν. *com / sa formalis*
tempore / rei
cor / rei
certe non / rei
neg. / peccatum
accidens / rei
peccatum / q.
pet. n. / simplici
toni / peccata
modic. / rei
ad / p. / pediment.
3. Quale nam verò accidens; id ex collatione praecedentis iusticia
Originalis conspicuum redditur: Quemadmodum igitur, primò
iustitia Originalis non tantum fuit imputativa quadam accepta-
tio, sed & omnium virium tum animi tum corporis summa har-
monia, conformitas & rectitudo ex amissione respondens legi divi-
nae: Ita ex adverso, peccatum Originale non tantum est impu-
tatio quadam aliena culpa sine proprio aliquo vitio, sed potius o-
mnium virium summa deformitas, ex diametro pugnans cum
lege divina: Secundo sicuti iustitia Originalis non tantum se-
cundam decalogi tabulam respiciebat, sed cum primis etiam pri-
mam, neg. tantum in exterioribus actionibus splendebat, sed &
in interioribus splendidissime enitebat: sic vicissim peccatum
Originale non tantum appetitum sensitivum, uti vocant, sed ipsas
quoq. animi summas vires invasit & deformavit.

Suntq;

VII.

Suntq; duæ Peccati Originalis partes, 1. Potentia seu ~~strenua~~ mali. 2. Impotentia seu ~~strenua~~ Boni.

1. Quod nos ~~strenuas~~ seu Impotentiam nominamus, Scriptura vocat Glorie seu imaginis divinae carentiam Rom. 3. 23. bonorum vacuitatem Esa. 29. 8. eorum, quæ spiritus sunt, incapacitatem 1. Cor. 2. v. 14. paupertatem, cæcitatem, nuditatem Apoc. 3. 17. Augustinus de lib. Arb. nominat: Difficultatem ad bonum, & alibi: amissionem doni possibilitatis.
2. Potentiam ad malum sive ~~strenua~~ Scriptura familiari sibi voce nominat Concupiscentia, quæ habet inclinationem ad actum, seu potentiam, quæ potest progreedi in actum. Rom. 7. 11. dicitur Peccatum decipiens. Iacob: 1. 14. Concupiscentia trahens & alliciens. Rom: 7. 5. dicuntur ~~strenua~~ passionis, hoc est, affectuum, vehementiss. acerrimi impetus & cupiditatum flamma & quasi exasperationes accedentis morbi. Vnde Lutherus in posteriore editione admodum significanter vertit, das Wüthen der Sünde.
3. Similiter & Apostolus utrumq. hujus mali respectum luculenter demonstrat Rom. 7. ~~strenua~~ quidem, v. 25. ~~strenua~~ verò, v. 18. 19. 21.
4. Quin ipsa quoq; ratio persuadet duplicum hunc respectum in peccato observandum: Omnia namq; illorum, quæ privative opponuntur, natura est, ut geminum istum respectum fortiantur, Potentiam videlicet & Impotentiam: & quia oppositorum opposita sunt prædicata; est q; peccatum potentia ad malum; erit igitur simul etiam Impotentia ad bonum.
5. Hinc adeo est, quod Patrum Orthodoxorum de peccato fuerint alijs visa sententiae, non tam re, quam verbis distincte. Quemadmodum scriptura modo per privationem, modo per positionem peccati nonexistentiam describit, ut in præcedentibus dictum: ita & Patrum quidam per Concupiscentiam; quidam per carentiam peccatum hoc definiverunt. Quæ res ignorata, vel non animad-

animadversa à scholasticis, eos tam sollicitos habuit, atq; in di-
versas partes distraxit; alijs hanc, alijs illam definitionem tue-
tibus: quam litem Bonaventura, adducto ex scripturis hoc di-
serimine, diremit.

VIII.

Vtraq; pars peccatum est.

1. Quemadmodum complures Theologi, magni nominis & eruditio-
nis politissime suum judicium fecuti, peccati partes aliter, quam
à nobis factum, constituunt: ita nobis licet sine prajudicio, cum
ceteris Theologis Potentiam ad malum, & Impotentiam ad bo-
num peccati originalis partes appellare. Vtramq; partem pecca-
tum esse diximus: Etenim quicquid est totius Universalis, id
etiam est partis.

IX.

Defectus igitur atq; Naturæ $\alpha\alpha\xi\alpha$ non est tantum
reatus, seu pæna primi lapsus, sed vere & pro-
priè peccatum.

2. Olim id Pelagius & Celestiani, hodiè Pontificij, genuina horum
propagae, idem negarunt, sed illi tunc ab Augustino, hi à Luthero
gravissime refutati sunt. Existimant enim malum hoc adna-
tum, non esse vitium seu peccatum aeternæ morti adjudicandum:
sed tantum servitutem quandam & conditionem mortalitatis,
tanquam panam aliena culpe à nobis contractam. Quemadmo-
dum enim, inquit Pighius, ex servis, qui proprio viro liberta-
tem amiserunt, nascuntur servi, non suo, sed patrum viro: Et
sicut filius scorti sustinet infamiam matris, sine proprio aliquo
inherentे viro: ita Actualis quoq; Adami transgressio, reatu
tantum & pena transmissa & propagata est ad posteros, sine vi-
tio aliquo & pravitate inherentē in ipsorum substantia.
2. Id nos negamus, auctoritate Scriptura & testimonio Patrum: ut
Gen. 8. v. 2. Ioh. 3. 6. Ioh. 14. 7. Eph. 2. 3. De Patrum testimo-
nijs, quam nosre sententie isthac faveant, Occam abunde testa-

sur, qui afferit, se, si non impediretur testimonio Patrum, dictum esse, Originis peccatum tantum esse reatum alieni mali sine aliquo inherente in nobis vitio.

X.

Sic & Concupiscentia est Peccatum.

1. Concupiscentiae vox homonyma est, ideoq; distinguenda, ne errorem pariat. 1. Concupiscentiam quandam Sacra litera ut SANCTAM commendant Ps. 119. 40. Luc. 10. 24. &c. 2. quandam ut NATVRALEM prædicant, ordinatam videlicet ad finem à Deo in creatione institutum, uti est ordinatus cibi appetitus, Luc. 15. v. 16. & 16. 25. appetitus ordinatus sexus ad sexum Eph. 5. 25. Col. 3. 18. qualis etiam amor fuit Adami integrum erga suam Evam. Inde August: de Bon: cōjug: c. 16. Quod cibus est ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis, & utrumq; non est sine delectatione carnali, quæ tamen modifcata & refrēnata temperantia in VSM NATVRALEM redacta, libido esse non potest. 3. Quandam planè damnat, quæ videlicet sese exserit contra diuinam legis regulam, facit q; ut homino nitatur invetitum cupiat q; negata: v. g. alienam conjugem, opes, honores incompetentes, & id genus alia. Hos appetitus Scriptura planè damnat, & in oculis domini esse abominabiles & detestabiles pronunciat.
2. Concupiscentia hac, sicut respectu subjecti, mentis nimirum & voluntatis Eph. 2. v. 3. ita quoq; ratione actus duplicitis, primi videlicet & secundi, & ipsa duplex est. Quam distinctionem tum nona & decima decalogi lex, tum Iacobus c. 1. v. 14. suggerit: quam quoq; Apostolus Gal. 5. 6. Rom. 6. 11. & 12. confirmat, ubi manifestum inter Concupiscere & Concupiscentiae obedire, discrimen facit. Et hoc ipsum D. Augustin: ex hoc classico loco vehementer urget contra Julian: aperte distinguens, affectionem consentientis, ab inobedientiâ, quæ per se inest concupiscentiae.
3. Est erga una concupiscentia ratione actus primi, quatenus carni depravata

pravare, intimè inheret, quam Jacobus loco citato, Concupiscentiam Concipientem appellat, qua hominem allicit, & titillando quasi ad peccandum incitat & invitat, etiam si consensus non accedit. Altera definitur ratione actus secundi, quatenus Concupiscentia non manet abscondita, sed quasi cum astu prorumpit in actum, ita ut accedit jam plenus consensus, atq; cum animi quodam prolibio transilit legis divinae lineas. Quemadmodum Mich: 2. v. 2. accipitur; & hac est Iacobo Concupiscentia pariens.

4. Prior Concupiscentia species ad peccati Originalis cūsacū pertinet: posterior verò est ejus effectum. Posteriorem illam peccatum esse, ne Philosophi quidem facile negaverint: Sed & priorem quoq; veri peccati nomine venire aternis flammis vindicandā, nisi remittatur propter Christum fide apprehensum nos asserimus. Quicquid enim est repugnans seu reflectens à lege Divinā, peccatum est: Atqui talis est concupiscentia, teste Apostolo Rom. 7. v. 7.

XI.

Atq; hæc Concupiscentia non fuit in Protoplastis ex conditione materiæ concreatae.

1. Propositi Aphorissimi Contradicentem publicis literarum monumētis afferere non veretur colluvies Papalis. Eandem namq; actu fuisse cum illa, que in homine post lapsum est, afferunt Monachi, sed ne in actum erumperet, Deum concessisse homini donum illud justitiae Originalis, ut loquuntur, Supernaturale, tanquam curam aliquam palliativam, quæ faceret non ut in puris naturalibus omnino non esset concupiscentia malum, sed ne sese palam proderet.
2. Falsum igitur fuerit, quod sapiens c. 2. v. 23. & Apostolus Eph. 2. 4. hominem & dæmonum inq; vera justitia & sanctitate creatum scribit: Mentietur Moses, omnia a Deo creata valde bona fuisse, afferens. Que Romanen sium asseveratio si stare posset, quoniam Deus hujus concreatae concupiscentia præce culpam effugiet? quem ubiq; Scriptura vox tamen à culpâ absolvit, negans eum ullo pacto auctorem mali dicendum. Evidem multo meliore

jure Pontificios hujus teterrima blaphemia reos agere possumus,
quam impudentiss. scurra Surius (quem in ipsum calumniæ virus
calamū sū intinxisse, dū cōmentarios suos scriberet crediderim)
D. Lutherum, cui per summam calumniam tam grande scelus im-
pudentissime impingere, effrenis & effrons Monachus non ve-
retur.

3. Et quid quofo, est Monachis Materia concreata, concupiscentia
malum causans? Vtrum crassi & exteriore corporis partes; an
vero Natura concupiscens? Vtrum dixeris, valde inepie & ab-
surde. Quomodo enim ipsa concupiscentiæ potentia nominari
potest Materiæ concupiscentiæ, ut scilicet ex materia illius con-
ditione, malum illud proficitatur, cum etiam in ipso Christo
omnis peccati expertise, fuerit ista naturalis concupiscentiæ poten-
tia, ad edendum, bibendum, dormiendum, uti id sacra historia
passim testatur? Non minori cum absurditate altera affirmatæ
pars conflictatur: Ut enim hominis massa corporea verè est ma-
teriata, sic concupiscentiæ facultate ex se, per se, & primò planè
caret; quia ejus sedes est in anima appetitiva.

XII.

Quod igitur diximus Peccatum esse Acci-
dens, non intelligimus leve aliquod, quod
exiguam aliquam mutationem introdu-
xit; sed tale, quod substantiam ipsam cor-
rupit, & in natura est Proprium ut Nunc,
sive temporis.

1. Studiosè cavendum, ne dum Syrtes Manicheas & Flacianas
vitamus, in adversa Pelagianorum & Synergistarum vada &
scopulos feramur: ideoq; peccatum non esse levem mutationem defi-
nivimus, sed malum inexplicabile, quodq; non nisi per mortem
a Deo separari possit. Hinc Apostolus nos NATURA filios iræ esse
pronunciat Eph. 2. 3. Ex quo consequitur malum hoc nostrum esse
Naturale, quo iram Dei in nos concitemus.

Etsi

2. Et si verò peccatum, quatenus separatim & secundum se consideratur, non est aut hominis natura, vel ejus accidens proprium: tamen sicut Ens & non Ens est in Contradicentibus; sanitas vel agitudo corporis in animali se habent, ut propria accidentia: ita justitia & injustitia seu peccatum, in hominis animo, si per disjunctionem conjunctim, ut unum sumuntur, sunt essentialia & naturalia hominis attributa.
3. Dicitur verò peccatum nobis Connaturale, non quod hominis Naturam perficiat vel absolvat: sed quemadmodum sanitas ad animalis perfectionem, agitudo ad ejusdem imperfectionem, utramque tamen affectio conjunctim & neutra seorsim, est absolutum & integrum animalis proprium seu naturale: Eodem plane modo est omnino prater naturam & contra justitiam & sanctitatem Originalem & primevam, quam non impedit solum, sed plane tollit & abolet. Hinc Lutherus: Verè peccatum tam magnum est, quam magnus est, qui peccato offenditur: cum vero calum & terra capere non possunt Tom. 4. p. 532. Et rursum: peccatum est crudelissimus & potentissimus tyrannus super omnes homines in toto mundo, qui non potest vinci, aut expelli, ulla potentia omnium creaturarum, sive sint angelicae sive humanae: sed sola infinita & superiore potentia Iesu Christi filii Dei, qui scipsum pro eo tradidit. Tom. 1. pag. 11.
4. Et quia totam hominis naturam hæc labes, ut carnem lepra, pervaserunt, dicitur à Luthero peccatum *Natura*, Peccatum *Essentiale*, peccatum *Substantiale*: quibus nihil aliud voluit, quam quod tota hominis massa, *Natura*, & essentia sit corrupta & depravata vitio inhärente. Est ergo peccatum eo periculosus, quo latentius est absconditum: propterea inquit Chrysostomus ad Roman. ,magnum est malum: quia nihil videtur esse.
5. Imo verbis ac mente assequi non possumus quanta sit aviti hujus malorum atrocitas, quanta fæditas, dum lux fulgentissima agnitionis divina, tenebris AEgyptiacis; sanctitas & puritas cordis, ini-

quitate & injustitiā; perfectio & integritas, imperfectione & destructione; omnium virium animi & corporis dulcissima harmonia & consensus, deplorandā contumaciā; immortalitas mortalitate, commutata sit.

6. Apagè ergò nugas & impudentijs: calumnias vanorum hominum, ni nostris ecclesiis peccati magnitudinem extenuari, clamantium.

XIII.

Pertransiit autem ad omnes homines.

1. Excipio Salvatorem; quippe prater communem naturæ legem, à Spiritu sancto conceptum: Etenim, pontificem nostrum decebat esse, innocentem, impollutum, sanctum, segregatum à peccatoribus. Ceteri omnes, quotquot vinxerunt, vivunt, victuri sunt, eadem conditione & lege sunt, non vir, non famina, non infans, non adulitus exemptus est, quod clarâ voce testimonium propheticum & apostolicum pronunciat: OMNES declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum Ps. 14. 3. & Rom. 3. 12.
2. Id equidē non inficiamur, malū istud in omnibus, hominibus non ita facile esse nostris nostris sensibus obvium: cuius rei clarum testimoniū exhibet nobis stylus Psalmista Ps. 90. v. 8. qui Peccati Absconditi voce illud indigitat, innuens hoc ipsum quidem latere, donec homo rationis usum paulatim exserere incipit, & quidem in intimis naturæ recessibus & adytis absconsū latere, ut non nisi illuminatione & irradiatione verbi divini prodatur & manifestū fiat.
3. Cuius rei gratia etiam institutum ministerium verbi est, ut hominibus latens hoc in intimis naturæ latebris & occultissimis cordis recessibus peccatum monstretur & indicetur, quod alias omnem humani ingenij aciem fugit & respuit. Vnde seie August. In oculis cæci, etiam de nocte vitium est, et si non apparet, nec discernitur inter videntem & cæcum nisi veniente luce: Sic in puerō vitium esse non apparet, donec etatis proæctioris tempus occurrat.

Hinc

4. Hinc apparent nuga Tellenæ Pontificiorum, & horum Antesignani Bellarmini, B. Virginem, Iohannem Baptistam & Ieremiam Prophetam, ab hac communi peccatorū sorte eximentiū, & à labe originali absolvientium. Quibus tum adducta scriptura testimoniā, tum Antiquitatis prioris consensum opponimus. Augst. contra Iul. Quisquis, inquit, in hac vitā hominem aliquem vel esse, vel fuisse existimat, excepto uno Salvatore Dei & hominum, cui non necessaria fuerit remissio peccatorū, contrariusest Scripturæ. Idē lib. 5. contra Iul. c. 9. Si absq; dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat ut intelligamus, nisi eā excepta, omnē reliquam humanam carnem esse peccatis? Vbi Paulo post eū heresēos criminē insimulare non dubitat, qui contra hanc statuit: Quisquis, inquiens, hoc negat, detestandus hereticus invenitur.

XIV.

Diversa tamen ratio est peccati Origina-
lis in posteris & in protoplastis.

1. Quippe in his peccatum actuale praecepsit Originalem morbum: Praditi enim hi erant naturā omnis mali experte, nec ullius mali ulla semina in ipsis erant, nec ulla peccādi necessitate tenebātur, quin potius liberā transgressione mandati diuini, hisce pec-
candi compedibus semetipsos constringerunt; in illis vero Originale malum tanquam fons, ut inquit Lutherus, actualis, peccata a-
ctionis precedit & bibunt eum succum, quem radix amaritu-
dinis aviti mali suppeditat.
2. In Protoplasis fuit Voluntarium: in posteris est Necessarium ex hypothesis, seu hereditarium. Voluntarium etiam hoc dici potest, dupli ratione. 1. Quia à primā hominis voluntate pravā est contractum. Aug. lib. 1. cap. 13. Retract: 2. Quia in vo-
luntate mala, cœn in subiecto heret.

XV.

Subiectum hujus mali est totus homo,
secundum animam & corpus.

1. Quem-

1. Quemadmodum imago Dei corruptionem hanc praecedens, fuit acci-
dens inhārens toti composito: ita etiam Originale hoc malum,
non tantū anima, aut tantū corpori inhaſivē, sed toti compo-
ſito ex anima & corpore constanti, à sacra scriptura attribuitur.
Ponit enim illud in M E N T E Eph. 5. v. 8. 1. Cor. 2. 12. IN-
VOLVNTATE & CORDE Gen. 6. & 8. Marc. 7. 21. Eph. 2. 3.
Et deniq; toto HOMINE, qualis est ex primā nativitate, &
singula ejus membra & partes subjectū peccati Originalis appel-
lantur. Rom. 3. 13. & 6. v. 6. Gal. 5. 24. jubetur homo cū morbis
& concupiscentijs crucifigi. Rom. 6. v. 6. dicitur Corpus peccati.
Et sexcenta alia, quibus veritas canonis nostri roboratur & ful-
citur, que sciens pratereo.

XVI.

Effectus peccati Origin. Mors est.

1. Mortem dum dicimus, omnis generis mala, mortem videlicet an-
tecedentia, concomitantia, & consequentia intelligimus. Est q̄ hæc
Scripturæ phrasis non infrequens, ut Mortis appellazione veniant
universæ calamitates. Ex. 10. 17. Locustarum plagam Pharaō
nominat mortem seu mortiferam calamitatem. Esse autem mortem
& primam & secundam verè effectum peccati, probatur.
Gen. 2. 17. Sap. 2. 24. Rom. 5. 12.

XVII.


Non tollitur autem nisi in Conversis post ba-
ptismum, atq; indies in adultis per quoti-
dianam resipiscientiam mortificatur, dum
non ad pænam inputatur.

1. Ut longa hæc est inter Lutherum & Pontificios controverſia: ita ac-
curata ejus decisio à varijs Theologis est facta. Alij duo in peccati
ratione concurrere docent: Materiale & Formale: illud à corporal
vocant, hoc est, quicquid EST in nobis, & defectus, corruptio, in-
clinatio, legi ac voluntati Dei repugnans: & quicquid FIT à no-
bis, ut omnis actio interior & exterior cum lege Dei non conve-
niens:

- niens: Hoc Reatus nomine indigitant, quod videlicet omnes ex virili semine progeniti, cum Adamo respectu primi delicti, in culpa & societate sumus.
2. Sic itaq; in omnibus hominibus secundum naturam progenitis, non est nec manet plena peccati ratio: In non-renatis materialiter & formaliter; in renatis manet tantum materialiter. Sic in Paulo Conversofuit materiale peccati; sed nō fuit in eo peccati formale: Reatus enim ipsi in Christum credenti fuit condonatus: Hinc Augustinus ad Valer. lib. 1. c. 24. Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.
 3. Ut peccatum diversimode etiam modo in Qualitate, modo in Relatione est: ita Alij duplex peccati formale constituunt; Vnum in Categoria Relationis, Reatum & maledictionem; alterum in Qualitate, Deformitatem carentiam justitiae Originalis: atq; illud quidem in baptismo plenaria remissione tolli; hoc autē in baptismo sensim sanari, mortificari, non penitus tolli, contendunt.
 4. Alii Reatum dicunt in baptisatis tolli non abOriginali concupiscentia, ac si isthaec per sejam sancta esset, vel sane in differens: Sed à personā baptizati, quippe cui malum illud per se aeternā morte dignum non imputetur ad condemnationem Rom. 8. v. 1. s. Alii deniq; duplē peccati Reatum sunt professi: Actualem, qui actu ipso legis transgressores maledictione adstringit: Et potentiam, ut cum Reatus peccati est solutus, in se tamē, quia est contra legem Dei, reū facit aeterna mortis, nisi justitia Christi obtegeretur.
 5. Quicquid v. sit, id in confessō eſc, nos sufficientissimum Christi meritum, iſis distinctionibus productis & probatis nequaquam extenuare, sed utraq; manu liberalissimè dare, plenam nimirum & perfectissimam omnīū peccatorū indulgentiam nos per lavacrum regenerationis accipere, mortificationis verò & Renovationis beneficium in hac vita per Spiritum Sanctum incoari & indies per eundem incrementa capere, absolvendum & perficiendum demum in beatā illā & futurā calesti vitā.

6. Negat propterea Deum alicujus adiutorios accusamus, quod non possit peccati radicem extirpare funditus: quin potius summa contentione asserimus, nullo negotio renovationem nostram a Deo posse perfici simul & semel, nisi divina ipsius sapientia & bonitati placitum esset, viriutem suam in imbecillitate nostrâ persicere.
Praclarè sanè August. contra Iuli. lib. 4. c. 2. ad Objectionem hanc, quam Jesuitæ jam suam fecerunt, respondet: Quasi, inquit, nos negemus adjutorium Dei tantum valere, ut hodie nullas concupiscentias malas habere possumus, contra quas vel invictissimè dimicemus. Et tamen non fieri, nec tu negas: cur a. non fiat, quis cognovit mentem Domini? Non tamen parum scio cum scio, quæcunq; illa causa sit, quod nec justi Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid ex ejus abdito occulto consilio, cur quamdiu vivimus in hac carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra. Est etiam propter quod dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Et paulo post: Ideo factum est in loco infirmitatis hujus, ne superbe viveremus, & sub quotidiana peccatorum remissione vivamus. Sed siue ista causa sit, siue alia, que multo amplius me latet: tamen quod dubitare non possum, quantum libet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipso decipimus &c. Ex quib; tandem omnib;. Peccati originalis definitio istiusmodi resultat:

P E C C A T U M O R I G I N I S est defectus iustitia originalis, in malum contrarium inclinans, omnibus anima & corporis partibus, naturâ jam inde à primorum parentum nostrorum lapsu in nos omnes ipsorum posteros in generatus, atq; mortis reatu, nisi per Christum remissio ejus facta fuerit, obligans.



niens: Hoc Reatus nomine indigitant
virili semine progeniti, cum Adamo
culpa societate sumus.

2. Sic itaq; in omnibus hominibus secundum
est nec manet plena peccati ratio: In no
formaliter; in renatis manet tantum.
Converso fuit materiale peccati; sed no
Reatus enim ipsi in Christum credent
Augustinus ad Valer. lib. I. c. 24. Hoc
reum non esse peccati.
3. Ut peccatum diversimode etiam modò in
tione est: ita Alij duplex peccati form
Categoria Relationū, Reatum & m
Qualitate, Deformitatem carentiam ju
quidem in baptismo plenaria remissione
sensim sanari, mortificari, non penitus
4. Alii Reatum dicunt in baptisatis tolli no
tiā, ac si isthac per sejam sanctā esset, v
personā baptizati, quippe cui malum
dignum non imputetur ad condemnati
deniq; duplē peccati Reatum sunt p
etū ipso legis transgressores malediction
lem, ut cum Reatus peccati est solutus,
gem Dei, reū facit aeterna mortis, nisi j
5. Quicquid v. sit, id in confessō eſc, no
meritum, iſtis distinctionibus product
extenuare, sed utraq; manu liberalissim
perfectissimam omnīū peccatorū indu
regenerationis accipere, mortificationis
neficiū in hac vita per Spiritum Sanctū
eundem incrementa capere, absolvendū
mū in beatā illā & futurā caelesti vi



the scale towards document

et omnes ex
vi delicti, in

genitis, non
erialiter &
Sic in Paulo
ati formale:
atus: Hinc
e peccatum,

odo in Rela
t; Vnum in
alterum in
lis: atq; illud
in baptismo
lunt.

concupiscen
rens: Sed à
ernā morte
v. I. S. Alii
alem, qui a
Et potentia
a effōrta le
obtegeretur.
num Christi
nequaquam
nimirum &
er lavacrum
rationis be
& indies per
iendum de

032

Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 032

Neg